



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula litterarum testimonialium de publicationibus factis matrimonij  
co[n]trahendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

lia nostra Metropolitana generales ordinationes celebrantes, Dilectum nobis in Christo N. clericum Mediolanensis nostrae Diocesis examinatum, & admissum, ad . . . ordinem ritè promouimus, eique dictum Ordinem contulimus. In quorum fidem praesentes literas sigillo Archiepiscopali Sancti Ambrosij, & manu Cancellarij nostri Archiepiscopalis munitas fieri iussimus. Dat.

Formula literarum testimonialium ordinationis cum dispensatione super defectu natalium.

**C**Arolus &c. Vniuersis praesentes literas inspecturis fidem facimus & attestamur, quòd nos hodie Sabbato quatuor temporum autumnalium generales ordinationes in Ecclesia nostra Metropolitana celebrantes, dilectum nobis in Christo N. cum quo super defectu natalium, quem ex soluto & soluta genitus patitur, auctoritate nostra ordinaria ad hoc dispensauimus & dispensamus, ad primam clericalem tonsuram promouimus &c. In quorum fidem. Datum.

Formula literarum testimonialium sacre ordinationis extra tempora.

**C**Arolus &c. Vniuersis praesentes literas inspecturis fidem facimus & attestamur, quòd nos hodie Dominico vigore facultatis a sede Apostolica specialiter nobis attributae, sacros ordines Dominicis vel alijs festis diebus etiam extra tempora a iure statuta conferendi, in Ecclesia N. inter Missarum solennia dilectum nobis in Christo N. ordinis N. clericum Mediolanensem, probatum, ad Subdiaconatus ordinem ritè promouimus, eiq; dictum ordinem contulimus. In quorum fidem &c.

Formula literarum testimonialium ordinis suscepti in propria diocesi ab alio Episcopo de ordinarij licentia.

**F**RANCISCUS Cittadinus, Dei, & Apostolicae Sedis Gratia Episcopus &c.

Vniuersis praesentes literas inspecturis fidem facimus, & attestamur, quòd nos hodie Sabbato quatuor temporum, facultate, & speciali mandato Illustriss. ac Reuerendiss. Caroli Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis prout apud acta Reueren. Cancellarij Archiepiscopalis infra scripti constat, generales ordinationes in Ecclesia S. N. Mediolani celebrantes, dilectum nobis in Christo N. ad . . . ordinem ritè promouimus, eiq; dictum ordinem contulimus. In quorum fidem &c. Dat. & actum ut supra &c.

Formula denunciandi matrimonium futurum in Ecclesia. Habetur supra parte 2. Actorum. pagina 283.

Formula dispensandi in denunciationibus matrimonij.

**C**Arolus & caetera. Dilecto nobis in Christo R. N. salutem in Domino & cat. Iustis de causis animum nostrum mouentibus, his literis facultatem tibi concedimus, vt tribus, vel saltem duobus testibus praesentibus, N. & N. in Matrimonium (cum nullum ex informationibus oreterus sumptis inter eos legitimum detectum fuerit impedimentum) coniungere valeas. Ita tamen, vt celebrato matrimonio . . . denunciations tribus & cat. continuis festis diebus ex praescripto Concilij Tridentini fiant, & interim sponsi se a carnali copula abstineant; in reliquis vero forma ab eodem sacro Concilio, nostrisque Prouincialibus praescripta seruetur. In quorum fidem &c. Dat.

Formula literarum testimonialium de publicationibus factis matrimonij contrahendi, quando contra-hentes diuersarum sunt Parochiarum.

**A**testor ego P. . . Parochus loci . . . me inter missarum solennia tribus diebus festis infra notatis populo denunciaffe matrimonium contrahendum inter N. nostrae Paro-



Parochiæ, & N. Parochiæ N. ex præcepto Conc. Tridentini, neque vllum delatum esse impedimentum, quin ad celebrationem matrimonij ritè procedere liceat.

Prima publicatio facta fuit die N. Mensis N. die Dominico, vel festo; secunda die N. tertia die N.

Quæ attestationes asseruari debent a Parochis illas recipientibus, & in notalam redigi.

Dispensatio super matrimonio iam contracto, ob aliquod impedimentum.

**C**arolus &c. Dilectis nobis in Christo salutem in Domino. Oblatæ nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, aliàs vos . . . coniunctos esse, inuicem matrimonium contraxisse, illudque postea consummasse, in eodemque, sic contracto matrimonio legitime viuere cupere; quia si matrimonium inter vos non sequeretur, grauius exinde scandala, & alia incommoda in animarum vestrarum periculum possent verisimiliter exoriri, tuque . . . perpetuo diffamata, & forsan innupta remaneres. Verum cum desiderium hoc vestrum adimplere non possitis absque sedis Apostolicæ dispensatione, propterea nobis humiliter supplicari fecistis, vt vobis in præmissis de absolutionis beneficio, ac dispensationis gratia, auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa, prout ex literis Sanctissimi Domini Nostri Papæ N. ad nos hac de re scriptis, opportunè prouidere digneremur. Nos igitur saluti animarum vestrarum consulere volentes, præmissis ex causis animum nostrum mouentibus, seu aliàs omni meliori modo, cum . . . propter hoc ab aliquo raptà non fueris, auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, vos a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque canonicis sententijs, censuris, & pœnis, a iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet ob incestus reatum & excessus huiusmodi innodati for-

Pars III.

san existitis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluius, & liberamus, iniuncta vobis salutari penitentia . . . qua peracta, vt impedimento . . . gradus huiusmodi, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs nequaquam obstantibus, matrimonium inter vos publicè, videlicet coram proprio parochio, & duobus vel tribus testibus in Ecclesia, omiſſis etiã denunciationibus (quas hac vice ex gratia speciali remittimus) contrahere, & in eo postmodum remanere liberè & licitè possitis & valeatis, auctoritate Apostolica harum literarum serie dispensamus. Distantiam verò . . . gradus prædicti vobis non obstare declarantes. Prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam, legitimam nunciando. In quorum fidem præsentibus manu nostra signatas, & per infrascriptum Cellarium nostrum subscriptas, sigilloque nostro munitas fieri iussimus.

Datum. &c. . .  
Formula interdicendi Nuptias.

**V**T omnes intelligant, quibus sacris temporibus a nuptijs abstinendum sit, ac præterea frequentiori orationis studio, quod dierum celebritas, & mysterium postulant, vigilantius incumbendum: Nuptiarum interdictionem sacri Tridentini Concilij decretis firmatam vobis enunciamus: quæ videlicet a prima Dominica Auentus vsque ad Epiphaniarum diem, & a Dominica in Capite Quadragesimæ vsque ad octauam Paschatis inclusivè perdurabit. Exemplo quoque veterum fidelium vos etiam atque etiam hortor, vt statis Ecclesiæ ieiunijs præsertim solenniura quatuor temporum a Nuptiarum celebritate abstineatis; si enim coniuges Apostolus monet, vt tum, cum oratione & ieiunijs vacandum est, a matrimonij vsu abstineant, æquissimum erit, & cum sancta disciplina consentiens, eos, illo vel breuissimo tempore a nouo coniugio ineundo se continere.

O 3 For-